

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Konrad Ulrich

**De Lingvae Ebraicae Inter Christianos Ante Revchlinvm Cvltv Disserit Et Ad
Actvm Oratorivm In Illvstri Gymnasio Regio Reformatorm Ad Diem XVII. Maii A.
C. CII CCLI. ... Institvendvm**

Halae Magdebvrgicae: Apvd Io. Iac. Cvrt, [1751]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889400245>

Druck Freier  Zugang



CIC - 1¹³



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn889400245/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889400245/phys_0002)

DFG

DE
LINGVAE EBRAICAE INTER
CHRISTIANOS

ANTE
REVCHLINVM CVLTV
DISSERIT

*bibliotheca
Academica
Rostochiensis*
ET
AD ACTVM
ORATORIVM

IN
ILLVSTRI GYMNASIO REGIO
REFORMATORVM

AD DIEM XVII. MAII A. C. CIO ID CCLL.

INDE AB HORA X. MATVTINA

INSTITVENDVM

OBSERVANTER AC HVMANISSIME INVITAT

IOANNES CONRADVS VLRICH,

GYMN. CONR. ET CONVICTORII INSPECTOR.

HALAE MAGDEBURGICAE,

APVD IO. IAC. CVRT, ACAD. TYPogr.

CTo-113





um linguae ebraeae per Germaniam, imo Europam, cultae primordia ad Reuchlinum communiter referantur, anquiram, numne studii hujus vestigia quaedam superioribus temporibus inter christianos deprehendantur? Parum abest, quin cel. Hardtius studii hujus initia jamdu[m], Carolo M. Germanorum augusto, facta fuisse, arbitretur, cujus auspiciis in scholis Parisiensi, & Osnabrugensi litterae ebraicae, gracae & latinae doceri sint cœpta (1). Sed enim licet laudatissimus imperator propensissimo in litteras fuerit animo, eisdemque novas vires, novosque suffecerit spiritus: dubitarim tamen, num de revocandis ex exilio ebraicis litteris fuerit sollicitus. Crantzius certe metropol. L. i. c. ii. memoriae proditum reliquit, Carolum, aperiundo scholam Osnabrugensem, hoc in mandatis deditis praefectis illius, *ut in illa graca*

* 2

74.

(1) Commentat. "de sex professoribus linguarum orientalium in una academia public. Helmst. 1713, p. 16. Conf. BUCHOLZERUS isag. chronol. p. III. HOPPINIANUS de templ. p. 426.

pariter atque latina linguis iuventus erudiretur. Osnabrugensis autem schola constituta est a. DCCCV. d. 20. Dec. Evidet hic nihil de litteris ebraicis memoratum invenimus, videtur tamen imperatoris auctoritas multis torporem excusisse, nonnullosque, excitatoris indolis homines excitasse, ut non solum sublimiorum disciplinarum cognitioni, verum etiam linguis, ac inter illas forsitan ebraicæ, adripiendis, animum ac operam suam adjunixerint. De benedictinæ familiæ sociis testatur TRITHEMIUS, in ipsorum collegiis circa annum a C. N. DCCCXL. (quo ipso *Ludovicus pius*, patris optimi vestigia premens, in vivis esse defit,) & diu post, hanc viguisse consuetudinem, *ut schola in singulis pene cœnobiosis haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiabantur ornatisimi: qui non solum in divinis scripturis docti essent, verum etiam in mathematica, astronomia, arithmeticâ, geometria, musica, rhetorica, pœsi, & in ceteris secularis litteratura & scientiis eruditissimi haberentur.* Ex his multi non solum in romana lingua docti erant, sed etiam in EBRAICA, GRAECA & ARABICA peritisimi, quod ex eorum opusculis facile dignoscitur: quamquam vitio scriptorum, qui a prima via institutione præceptorum paullatim degenerarunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur (2).

Hæc litteraturæ orientalis initia satis tenuia fuisse, facile unusquisque sibi persuadebit, ad maiorem tamen successu temporis perfectionem paullatim perduci potuissent, si posterorum industria votis majorum respondisset, ac altius illa provehere adnisi essent. Verum enim vero uti post *Caroli & Ludovici* excessum omnia retro labi cœperunt, ita etiam quidquid decoris ex ævo carolino litteris supererat, sequentium seculorum barbarie fuit obfuscatum & extinctum. Harum tamen, orientalium speciatim, vindex surrexit *Fridericus II.* imperator, qui expeditione in Palæstinam A. C. MCCXXVIII. suscepta, Hierosolymisque, cum magna Syriæ parte, expugnatis, spoliis orientis onustus, ut & huius suæ victoriæ fructus aliquis ad cives suos redundaret, codices græcos & arabicos, quos secum in Europam induxerat, opera doctorum virorum in latinum idioma, ut litteris decus aliquod conciliaretur, converti voluit. Negotium hoc Bononiensibus commisit, quos ad illud adgrediendum epistola, quam PETRUS de VINEIS L. III. epist.

p. 503.

(2) HOSPINIANUS c. l. p. 423.

p. 503. seqq. exhibet, & ex quibus ea, quæ ad hoc argumentum spectant, enotavit V. C. SCHELHORNIUS (3). Ex verbis, quæ ibi legi possunt, adparet, imperatorem eo esse adnatum, quo interpretatione librorum arabicorum & græcorum philosophiæ suppetiæ fermentur. Sed istius ævi infelicitas, & romani præfusis tyrannis ac odium, quo augustum, ad maxima natum, persequebatur, intercesserunt, quo minus res ex sententia succederet.

Ab hoc temporis articulo aliquot sæcula sunt elapsa, quibus nil quidquam a christianis in hoc studiorum genere fuit præstatum, pontificibus romanis ad tantam ignorantiam non solum conniventibus, verum etiam adplaudentibus sibi, litteris negligētis ac prostratis prorsus, eo tutius imperitæ plebeculæ cervices conculcare se posse. Sed enim sæc. X. & XI. istius modi fatorum series ordiri incipiebat, quæ christianis hanc imposuit necessitatem, ut in tempore sibi consulerent, ne rebus suis deessent, suaque socordia irreparabile damnum arcessivisse censerentur. *Mauri*, Saracenorum progenies, *Mohammedicæ* impietati obstricta, a longo jamdum tempore Hispaniæ infederant, eandemque fere subiugaverant. Nec minus ingens Judæorum colluvies inde ab *Atriani* temporibus ad Hispanos delata erat, quorum numerus augebatur adventu illorum, qui babylonicis electi sedibus, in Hispaniam immigrabant. Utrique frigentibus, imo sepultis fere sapientiæ qualiscunque & optimarum artium studiis apud christianos, totis animis ad theologiam, medicinam, philosophiam & artem grammaticam incumbebant, quo res suas contra omnem impetum firmarent, stabilirent. Qua sua industria id sunt consecuti, ut, quoties cum christianis, linguarum ac philosophiæ præfidiis destitutis, congregiebantur, superiores fere discederent. Ne igitur hostibus suis essent ludibrio, & quorum olim vim armis & ferro pertenserant, nunc, mutatis vicibus, illorum ore & calamo experirentur, ad illas artes atque scientias sunt conversi, quibus hostes valere plurimum, intelligebant. Quare philosophiæ & medicinæ addiscendæ ergo, & ut *Mohammedicæ* impietati ac Judæorum pervicaciæ pares essent, ad linguarum arabicæ ac ebraicæ studium animum adpulerunt.

Quam viam ut ingrederentur, ab Judæis, qui, missa superstitione avita, se in christianorum castra subinde conjecerunt, sunt

* 3

mo-

(3) *Dissert. de eximiis Suevorum in orientalem litteraturam meritis, amoenis litterar. Tom. XIII. p. 203-205.*

móniti. Horum refert Hardtius R. SALOMONEM, gente Ma-
roccanum, qui circa a. 1070. epistolam de adventu Messiae ad R.
Isaacum, *Maroccane synagoge p̄fectum*, dedit. In qua argumenta
profert, quibus Messiam jamdum venisse probatur, nec obscure
significat, diuturni exilii sui caussam hanc esse, quod majoris sui
christianorum prophetam e medio sustulissent. Igitur dum hæc
scriberet, dubius quidem hæsit circa religionem patriam, ne cum
plene de christiana convictus fuisse videtur, cui tamen post id
tempus accessisse, judicant alii, quod a. 1085. factum fuisse, ex
Nicolao Antonio adseverat WOLFIUS (4). Epistolam hanc arabi-
ce consignatam, in latinum idioma translatam, evulgavit *Alphon-
sus Bonushomo*, Hispanus natione, non, uti Hardtius scribit, a. 1348.
sed a. 1339. vel 1338. cui tamen aliqua, quæ a manu Salomonis
profecta non sunt, adfuisse videtur. Est illa typis aliquoties re-
petita, & in diversas transfusa linguis, quas editiones omnes &
interpretationes diligenter recenset cel. WOLFIUS (5). Quem au-
tem nominavimus, Bonushomo, jure merito inter primos lingua-
rum cultores, qui illa tempestate ex christianis floruerunt, est re-
ferendus, quo de videri potest COLOMELIUS (6) & quo de WOL-
FIUS ex Jo. de Marieta observat, *fuisse ipsum linguarum ebraicæ &*
arabicæ peritum, quas addidicerit, quod de Judeis & Mohammedanis,
quibus plena tum erat Hispania, ad Christum adducendis esset solicitior.
R. Salomonis exemplum sæculo sequenti est secutus R. MOSES,
Hispanus, qui a. 1106. Christo nomen dedit, & sacris aquis adspersus,
dictus est Petrus Alfonsi, qui *dialogum*, in quo *Petrum & Mosen*,
i.e. christianum & iudæum loquentes, deque gravissimis religio-
nis capitibus differentes, introducit, edidit. A quo tempore Ju-
dæi animadvententes, se suis peti armis, inter illos surrexerunt, qui
refellendis christianorum argumentis & religioni suæ defendendæ
intenti essent (7).

Nondum igitur christianis ita beatis esse licuit, ut ipsorum
aliqui Judæorum & Arabum libros volvere & revolveire possent,
gradum tamen promoverant in harum linguarum limina irrum-
pendi, cum inter se ex recutitorum gente haberent, a quibus &
optimum, quod sequerentur, exemplum sumere, & de quibus spe-
rare poterant, fore, ut viam ad ebræam linguam sibi sternerent.

(4) bibl. ebr. T. I. p. 1099. (5) T. III. p. 1100-1106. T. I. p. 1099-1101. (6) Hi-
span. orient. pag. 209. (7) von der HARDT c. I. p. 51. WOLFIUS Tom. I. p. 970.
971. & T. III. p. 921. 922.

Percommodum adhac accidit, ut RAYMUNDUS de PENNA FORTI, dominicanæ familiae præfetus, in conventu Toleti a. 1250. celebrato, sociis ediceret, ut addiscendis *ebrææ* & *arabica* linguis operam diligentem collocarent. Accedebant præmia regum Aragoniæ & Castiliæ, quæ illos manerent, qui morem huic sanctiōni gessissent. Confilium erat, ut tantam dictarum linguarum pérītiā sibi adiungerent, quo & ore adversariorum tela retundere, & calatum aduersus illos stringere possent. Cujus rei primum experimentum a. 1263. est factum, quo iussu regis in curia Barcinensis, ipso augusto præsente, PAULLUS, ex-Judæus, & R. NACHMANIDES, Gerundensis, sunt commissi. Quo colloquio habito a. 1263. IV. cal. Sept. & a. 1264. 27. Mart. publico edicto rex Paullo liberam concessit facultatem, ut, quas vellet, Judæorum scholas adiret, ex illorum libris, quæ ex usu essent, enotaret ac conquireret, quæque Christo & christiano nomini in illis injuria offendere, expungeret (8).

Quos Hispanorum conatus si primum restaurationis linguarum orientalium inter christianos gradum adpellaveris, a vero sane non aberrabis. *Paulus* ille christianis parentibus editus haud erat, sed judæis, hic tamen primus omnium linguæ ebrææ stabili loco sedem in ecclesia christiana paravisse, videtur. RAYMUNDUS certe MARTINI, non judaica propagine, ut multis videtur, prosemnatus, quo de prolixe disputat WOLFILIS (9), non aliunde, quam ex consuetudine hujus Paulli, quo cum arctissima familiaritate conjunctus erat, tantam linguæ ebraicæ peritiam hausisse, est censendus. Hic Raymundus, quoniam dominicanorum familiæ adscriptus erat, legibus præfetti sui, & iussibus regiis obtemperandum ratus, quantam potuit, discendis linguis ebraicæ & arabicæ, industriam impendit, in quibus etiam tantum profecit, ut cum veritatis christianæ hostibus in arenam cum laude descendere potuerit. Scriptit contra *Mauros*, itemque eximium librum, cui titulus *pugio fidei*, aduersus Judæos condidit, in quo, quidquid ex diurna chaldaicarum interpretationum, doctorum talmudicorum, ac antiquiorum judaicorum scriptorum lectione ipsi succurribat, multo studio ad revincendos Judæorum errores congesit.

Qui

(8) HARDTIUS p. 6. WOLFILUS T. I. p. 1016. Raymundum de Penna fortis impensis regum Castellæ & Aragoniæ seminarium instituisse, in quo nonnulli ex ordine prædicotorum viri, religiosi ebraico & arabico idiomate erudirentur, refert NATALIS ALEXANDER H. E. sœc. XIII. & XIV. pag. 562, 563. conf. BAEILIUS diction. T. II. p. 2077, 2078. (9) T. I. p. 1016 - 1018. & III. p. 989 - 991.

Qui liber postea cum diu admodum in bibliothecarum angulis delituisset, tandem cura *Jos. Voisinii* a. 1651. fuit expeditus, iterata vero vice luculentis accessionibus, obstetricante *Jo. Benedicto Carp-zovio*, ornatus Lips. 1687. prodiit (10).

Inclinante sæc. XIII. insigni ebraicæ litteraturæ notitia flouruit NICOLAUS de LYRA, vel LYRANUS, a patria, Normannia vico, ita appellatus. Etiam hunc, judaismo relicto, ad christianos concessisse, plurimorum est opinio, quos nominavit WOLFIUS (11), quibus addi potest R. SAL. ben VIRGA שְׁבָט יְהוָה, quem sub tit. *historie religionis Judaica* edidit GEORG. GENTIUS, qui (12) Lyranum appellat origine *Judeum, iudaicarum et rerum scientissimum*. Aliis contra pertendentibus, ipsum parentibus christianis satum, sed ob egregiam plane linguæ, rerumque ebræarum notitiam Judæis adnumeratum fuisse, quibus etiam pollicem premit WOLFIUS. Hardius, qui pariter ipsum ex Judæis accenset, arbitratur, inter tribules suos R. Donin dictatum fuisse: sed obseruat WOLFIUS, Hardium hunc Lyranum cum alio quodam Nicolao proselyto, cui nomen fuerit Donin, vel, uti in MS. cod. legatur, מִכְן, confundere, qui cum R. Jechiele de religione christiana in certamen descenderit. Hic non solum institutum Raymundi de Pennaforti ipso opere comprobavit, Judæorum superstitionem refutando, verum etiam primus christianorum post Origenem & Hieronymum ebrææ linguæ notitiam ad sacrarum litterarum interpretationem traduxit. In suis quippe ad divina oracula commentationibus ex magistrorum, cum primis R. SALOMONIS ISACIDIS explanationibus, plurima attulit, quæ lucem eisdem fenerantur, & linguarum notitia curatior effecit, ut in multis veritatem, quæ in ecclesia romanensi opprimi incipiebat, videret, & multa proferret, quæ dogmatibus, tum temporis passim receptis, adversabantur (13). Longius igitur jamdum litteraturæ ebraicæ usum produxerat Lyranus, quam vel illi, qui eandem adhuc userant, cogitaverant.

Sæc. XIV. incoato novum aliquod præsidium litteris orientalibus, speciatim ebraicæ, accedebat. Intellectum erat adhuc, disputationes cum Mauris & Judæis feliciter successisse, conver-

(10) vid. WOLFIUS c. I. COLOMOSI Hispan. oriental. pag. 209-212. (11) T. I. p. 912-914. T. III. p. 836-840. (12) p. 62. (13) Horum aliqua collegit ANGILLON melange critique de litterat. T. II. p. 346-350. plura exhibentur bibl. breem. cl. II. fasc. 2. p. 385-396.

siones quippe violentas ut parum per se honestas, ita ecclesiæ decoras, quinimo periculosas, respectabant. Dolebant autem consilia Raymundi de Pennaforti & regum Hispaniæ, illorum temporum vel socordia, vel subsidiorum defectu, repressa fere & sufflaminata. Quare P. M. Clemens V. huic malo opportune mendendum ratus, quo essent, qui & muneris sui ratione ad litteras orientales obstringerentur, earundemque cultus publica quasi auctoritate muniretur, in concilio Viennensi anno post Christum natum supra millesimum trecentesimo undecimo, præsentibus trecentis theologis, ipsoque adeo pontifice M. decretum promulgari curavit, ut in omnibus academiis constituerentur sex linguarum, ebraicæ, chaldaicæ & arabicæ professores (14). Sententia pontificis ac patrum conscriptorum hæcerat, ut opera publicorum doctorum in academiis lecti juvenes illa linguarum notitia instruerentur, qua apti evaderent, ipsis illis linguis verba commode fundere, cum Judæis & Mauris in palæstram concedere, illorum scripta lecitare, atque errores refutare: minus tum temporis solliciti de litteris sacris linguarum subsidiis explanandis, illustrandis. Est tamen institutum hoc summis tollendum laudibus, cum linguarum indeoles ea sit, ut in tam angustos cancellos se compelli minus patiatur: quare POSTELLUS adpellat *sanctionem*, qua nulla unquam in ecclesia christiana utilior constituta (15). Licet autem in se constitutio hæc laudabilis admodum fuerit, tamen optato caruisse effectu, & si quid aliquibi fuerit tentatum, intra conatum tamen rem substitisse, probabile est maxime. Non longe post publicationem canonum concilii hujus, in academia Oxoniensi per quendam, qui judaicæ superstitioni nuntium remiserat, doceri cœptam fuisse linguam ebraicam, narrat BZOVIUS (16). Homines illius ætatis philosophiæ scholasticæ studio inescati, (cujus beneficio sine multa opera, quæ vellent, profundere, & garrulitate sua fucum aliis facere poterant,) jussionem pontificis non tanti putabant, ut ipsa illa se ex securo otio in operosam vitæ rationem conjicere sinerent.

Qua-

(14) HARDIUS c. l. p. 7, 8. JAC. FACCIOLATI or. qua ostenditur, sacræ scriptaræ studium cum veterum linguarum studiis conjugendum esse, quæ inserta est bibl. brem. cl. V. fasc. 3. p. 403. 404. (15) or. de ling. ebr. & arab. excellentia, quæ habetur bibl. brem. cl. VII. fasc. 2. p. 223. (16) annal. eccles. T. XIV. p. 239.

**

Leipzig, 1809. C. G. C. (15)

Quare tantum absuit, ut academia quævis sex linguarum professores eodem tempore docentes haberet, ut ne unus quidem per duo integra sæcula, quæ proxime infœcuta sunt, in illarum aliqua fuerit constitutus. Aliqui tamen hoc ævo linguæ ebraicæ & aliarum peritia incluti exstiterunt. Praeter LYRANUM, qui aliquam hujus sæculi partem vivendo superavit, nominare possumus PORCHETUM, ALB. VILLANOVANUM, ALPH. BONUMHOMINEM, de quibus videri possunt passim COLOMESIUS, & WOLFIUS. Ex Judæis conversis, illis adnumerat Hardtius, JO. de PODIO, qui floruisse dicitur circa a. 1335. (17)

Cum sæc. XV. litteræ omnes pristino suo nitoris paullatim restitui inciperent, benignior etiam fortuna orientali litteraturæ adspirare coepit. Illius rei ratio minus arcessenda a decreto concilii Viennenis, in Basileensi de novo confirmato & repetito, sed vel exemplo & imitatione illorum, qui philosophiæ & elegantioribus litteris se dabant, vel ad hoc per Judæos, qui ad christianos transiverant, sunt exstimulati. Horum multitudo hoc ævo major, quam superioribus temporibus fuit, ex quibus rem christianam scriptis ornare sategerunt R. JOSUA LORKI, Hispanus, inter christianos HIERONYMUS de S. FIDE dictatus, PAULLUS, Burgensis cognominatus, in judaismo R. SALOMO LEVITA nuncupatus, ALPHONSUS de SPINA, PAUL. de HEREDIA, LIBERTAS COMINETUS, qui a quatuordecim linguarum notitia celebratur. Ex christianis laude cognitionis linguarum floruerunt JAC. PEREZIUS, JO. SEGOBIENSIS, Hispani, JANNOTUS MANNETTUS, PETRUS BRUTUS, JO. ANNIUS Viterbiensis JO. PICUS Mirandula comes, RAYMUNDUS MITHRIDATES, Romanus, ANTON. FLAMINEUS, siculus. Praeter ebraicam arabicam ex Italib[us] HIERON. RHAMNUSIUS, qui hujus descendæ ergo Damascum adiit, ac ibi per tempus haud exiguum moratus, JOSAPHAT BARBARUS, Venetus, persicam attigerunt. Ex Gallis in hunc censum veniunt JO. LAPIDANUS, Reuchlini præceptor, & JULIANUS TROTERELLUS, de quibus suis locis consulendi COLOMESIUS & WOLFIUS. Ex Germanis etiam nostris quidam hoc ævo commemorandi veniunt, qui non solum linguæ ebraicæ cognitionem

sibi

(17) cit. Comment. p. 8. 9.

sibi familiarem reddiderunt, verum illam etiam aliis impetriri adlaborarunt. JO. BEHAM, sacerdos Ulmensis, sub finem saec. XV. linguam ebraeam a Judaeis, priusquam Ulma expellerentur, didicisse, refert SCHELHORNIUS (18). Quam ne sibi soli reser- varet, sed cum aliis communicaret, lexicon & libellos grammaticos, haut levibus sumtibus a Judaeis paratos, convertendos curavit, eorundemque usum Reuchlino, Pellicano, & aliis litteraturæ ebraicæ restauratoribus, concessit. Nec solum Germania fovit ebraeæ linguæ cultores, verum etiam, quod adhuc nondum obtigerat, publicum linguæ hujus doctorem in academia suspexit. PHILIPPUS, imperii septemvir, a. 1477. JO. WESSELMUM, Gansfortium cognominatum, virum tum temporis eruditorum facile principem, ad academiam Heidelbergensem evocaverat, ut in illa theologiam doceret. Sed, quod ordini facro adscriptus non erat, nec illorum alicui initiari cupiebat, ab academiæ antefignanis cathedra theologica prohibitus, ad philosophos se contulit, & quamdiu Heidelbergæ substituit, litteras græcas, ebraeas, & philosophiam docuit: quo ipso simul, quod HENRICUS ALTINGIUS adnotat, primam quasi sementem jecit purioris doctrina, non dissimilans, quid in recepta formula confessionis & cultus desideraret (19). His suis moliminibus optime certe de re christiana & litteraria est meritus, maxime cum inter alios suos discipulos numeraverit JOANNEM REUCHLINUM, felicem illum literaturæ ebraicæ restitutorem, quem primis hujus rudimentis & recto de religionis capitibus sensu imbuit (20).

Nihil jam restat, quam ut instituti, quod hujus scriptio[n]is ansam præbuit, haud immemores, tam dicentium nomina, quam declamationum argumenta, paucis indicemus. Quæ hæc sunt,

FRID. ERNESTUS WILMSEN, Halens. de *indivulso doctrina & virtutis nexu* lingua romana dicturus, pronam auditorum audentiam sociis suis expetet.

JOANNES CHRISTIANUS BRUNN, Drondorfio-Anhaltinus,
VICTOR FRID. HESIUS, Weissando. Cothanus, &

** 2

JO-

(18) amoenit. litter. T. XIII. p. 207.

(19) histor. eccl. palat. p. 132. 133.

(20) id. p. 134. MELCH. ADAMI yit. philos. Germ. p. 18.

JOANN. LEOPOLDUS SCHOCH, Scheidera - Dessavien-
sis, de *usu historiae, ad linguam nostram redundantem*, germanice collo-
quentur.

LEOPOLDUS WILHELM. COLERUS, Dessaviensis, *verum
studiorum, quibus schola potissimum Academiæ occupantur, nexus,
oratione latina, ab ipso elaborata, docebit, Gymnasio nostro
vale ultimum dicturus, & denique*

JOAN. FRIDER. VEIST, Norimbergensis, *auream christiane
ecclesie etatem oratione romana, cui correctionis lima non est ad-
mota, exponet, ad lectiones academicas se accincturus.*

Ad quos sermones benevole audiendos, ut præfinito die ho-
ra X. matutina *Mæcenates at Fautores, omnium ordinum ac digni-
tatum spectatissimi, cum maxime venerandi Presbyterii mem-
bra, Patroni summopere solendi, frequentes adsint, & actum
huncce oratorium præsentia sua honorifcentissima benevolentia-
que solemniorem reddere ne graventur, submisso animi cultu,
& ea,qua possum, debeoque, observantia, etiam atque etiam ro-
gito. P. P. d. XVI. Maji A. C.*





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn889400245/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889400245/phys_0015)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn889400245/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889400245/phys_0016)

DFG

siones quippe violentas ut parum per se honestas, ita ecclesiæ decoras, quinimo periculosas, respectabant. Dolebant autem consilia Raymundi de Pennaforti & regum Hispaniæ, illorum tem-

socordia, vel subsidiorum defectu, repressa fere & suf-

Quare P. M. Clemens V. huic malo opportune me-
us, quo esent, qui & muneric sui ratione ad litteras obstringerentur, earundemque cultus publica quasi au-
uniretur, in concilio Viennensi anno post Christum na-
tillesimum trecentesimo undecimo, præsentibus tre-
logis, ipsoque adeo pontifice M. decretum promulgari
n omnibus academiis constituerentur sex linguarum, ebraice,
arabice professores (14). Sententia pontificis ac patrum
um hæcerat, ut opera publicorum doctorum in acade-
venes illa linguarum notitia instruerentur, qua apti eva-
illis linguis verba commode fundere, cum Judæis &
alæstram concedere, illorum scripta lecitare, atque
tare: minus tum temporis solliciti de litteris sacris lin-
sidiis explanandis, illustrandis. Est tamen institutum
tollendum laudibus, cum linguarum indoles ea sit, ut
ustos cancellos se compelli minus patiatur: quare
IS adpellat *sanctionem, qua nulla unquam in ecclesia chri-*
constituta (15). Licet autem in se constitutio haec lauda-
um fuerit, tamen optato caruisse effectu, & si quid a-
tentatum, intra conatum tamen rem substitisse, pro-
maxime. Non longe post publicationem canonum
is, in academia Oxoniensi per quendam, qui judaicæ
nuntium remiserat, doceri cœptam fuisse linguam
narrat BZOVIUS (16). Homines illius ætatis philo-
sophicæ studio inescati, (cujus beneficio sine multa ope-
re, profundere, & garrulitate sua fucum alis facere
ussionem pontificis non tanti putabant, ut ipsa illa se-
tio in operosam vitæ rationem conjicere sinerent.

Qua-

IUS c. I. p. 7. 8. JAC. FACCIO LATI or. qua ostenditur, sacra scri-
p-
tum cum veterum linguarum studiis conjungendum esse, quaæ inserta
orem, cl. V. fasc. 3. p. 403. 404. (15) or. de ling. ebr. & arab. ex-
quaæ habetur bibl. brem. cl. VII. fasc. 2. p. 223. (16) annal. eccles.
• 239.

**

Digitized by Google

